

modi carentes, si forte majori numero cumulati fuerint, viros alioquin doctissimos fallere atque in errorem inducere possunt.

Jam autem non sumus contenti, ostendisse, nomen typographi libris, ex officina ejus prodeuntibus, jam ante 1466. appositum cerni. Amplius nunc de typographorum insignibus quaeritur, quo praecise illorum originem referre debeamus. Vbi miror, industriam perspicacem viri celeberrimi ERHARDI REVSCHII falli potuisse, cum in docta, *de primorum typographorum vitis*, expositione, quae libro Germanico Ernestiano* *de typographia bene ordinata*, ornando praemissa est, de HIERON. HOELZELIO, ab anno 1503--1523. claro, locutus scriberet: tunc nondum moris fuisse in Germania, signis emblematicis libros notare. Adfunt autem monumenta fidei plane invictae, quae cuilibet facile persuadebunt, originem insignium libreriorum adhuc altius repetendam esse. Mutabit mentem suam REVSCHIVS ipse, quem Academia Helmstadiensis mecum serio veneratur, si modo sectionem III. & IV. thesauri Roth-Scholtziani consideraverit.

Id omnino largimur, morem istum non simul cum typographia inventa ortum esse. Cum JOHANNES & re & nomine FAVSTVS artem a se & a) GVTEMBERGIO excogitatam, quae opera doctorum virorum non per immobiles literas, uti antea fieri solebat, sed typos connexiles, ut numerofo quodam partu multa exemplaria celerrime edi possent, exscribere docet, primum exercere aggrediretur, nulla tum ipsi, libros suos ita signandi, cogitatio insidebat. Spernebantur

* ERNESTI hujus imaginem exhibes Tom. I. *iconum bibliopolarum & typograph.*

a) GVTEMBERGII faciem sistis inter *icones bibliopolarum & typographorum part. I.*